



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Fulgor maiestatis, in fulmine non lædente, consideratus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

quod facile occultaret coma. Rursum, cum iam vir esset, ita propinquum ei dormienti cecidit, ut tela in pharetra, que haud procul a lecto pendebat, condita conflagrarent; ipse quoque tum intactus. Aliunt & Aquilam a fulmine non afflari, unde & armigera Iouis, & sacra esse figuratur. Ceterum ignem ipsum, velut diuinum & verè mirandum Homerus nominat. Moysi quoque apparuit Dominus, in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Ita Dei dignitatem, splendorem, maiestatem agnouit. Sicut etiam, quando legem in monte, accepit: & sicut agnoscent, sub huiusmodi diem, homines, quando, de eadam lege seruata, aut violata iudicabuntur. Tunc enim *ignis ante ipsū praecedet*. Certè Maccarius affirmat, homines, naturali ratione, Deum esse, nosse ex fulmine & fulgere: estque ibi clarissima potentia, & potentissima claritas, quæ diuinum quid profitentur; iubar quoddam, vna cum sonitu, tanquam diuinitatis radios, quaque diffundentes. Sic, apud poëtam, describitur Sol, qui Phaëthonitem allocuturus circum caput omne micantes Depositus radios, propiusq; accedere iubat, procul consistentem. Neq; enim propiora ferebat Lumina.

Eiusmodi coruscationes capiti hominum affusæ, vel sanctitatis, vel regiae Maiestatis indicia semper fuere. Quare & Angelus illius erat aspectus sicut fulgor, & vestimentum eius, sicut nix; & Diui quoque radiauerunt. Quin & Seruio Tullo quoque id contigit memorant, quod Virgilius Iulo suo scribit euenisce.

*Ecce lenis summo de vertice visus Iuli*

*Fundere lumen apex, taliusq; innoxia molli*

*Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.*

Magni nimirum faciebant veteres, ab igne aliquem splendere, & non ardere, aut fulminatum, & non læsum; existimabant enim, ei, non nisi a cælo sanctitatis teste, splendorem accessisse; aut certè omen arbitrabantur, futuræ, inter maxima pericula, incolumitatis. Scopelianum refert Cardanus, dum in cunabulis esset, a fulmine occiso fratre, qui vna cum illo natus erat, evasisse incolumem, atque, per maximos labores, ad extremam peruenisse senectutem. Hic prolem fecit admirationi esse fulmen, alias matrem illustravit. Nam Marcia Princeps Romana, fulmine icta grauida, partu exanimato, ipsa citra yllum aliud incommodum

Homer. Iliad.  
12. 13. 15. & 20,  
Exod. 3. 2.

Psalm. 96. 3.  
Macar. ho-  
mil. 12.

Ouid. lib. 2.  
Metam.

Matth. 28. 3.

Plin. lib. 1. c.  
170. & Plu-  
tarch. de for-  
tun. Rom.  
Virg. Aeneid.  
lib. 2.

Card. de rerū  
vaiet. lib. 8.  
cap. 43.

Plin. I. 2. c. 51.

dum, vixit. In fætu igitur ostendit tum natura ignis, se lædere potuisse; vt in parente doceret, se pepercisse. Cuius rei & Plutar-

Plutar. lib. 4.  
q. q. conui-  
ual. 2.

chus exemplum tradit, militis, qui, Roma, ædem sacram custo- diebat: cuius fulmen prope delapsum ambullit calceamentorum corrigias, neque aliud quidquam incommodi attulit: ac pyxidularum argentearum, quæ lignis inclusæ capsulis erant, argen- tum quidem colliquefactum & conflatum sicut, lignum intactum ac integrum inventum. Quo loco & illud refert author, de fulmi-

ne, quod, Elide, in domum Dorothei rhetoris delapsum, multa mi- racula edidit, dum vim ex dolio exhaustus sitibundum, vase il- lato, & hominem somno stratum transuolans, neque illum offen- dit, neque vestem attigit, sed eius cinctum, in quo succinixerat num-

Psalm. 28. 7.

mos æreos, liquefecit & fudit totum. Verè hæc fuit *Vox Domini intercedens flammam ignis*: nam vim eius intercedit; vt, per inter- ualla, vreret, & parceret, Deoque ad nutum obediret. Quod e- tiam, in miseranda illa Maclinia, conflagratione, fecit, quæ An-

Gilb. Cogn.  
lib. 8. Narrat.

1546. ex fulmine accidit. Apud cauponem, cui nomen Croes erat, coniuæ chartis ludebant, quibus, dum, deficiente zytho, capo- in cellam descendit, tantus tempestatis extitit impetus, vt auulsa à fundamentis domus, procul abiecta sit, & oppressi lusores, ad- huc chartas manibus tenentes, reperierunt, nemine illius domus salvo, præter cauponem, qui concamerata cellæ beneficio, in- ter dolia, homo fortasse non dolaris seruatus est.

## XL.

Prodest ergo, & defendit ignis innocentes, & laudat Domi- num flamma, quæ ei ancillatur. At etiam offendit? etiam in cineres redigit? Vel innocentessunt illi, quos lædit, vel igne digni. Si innocentess, Laurentios, Vincentios, Pionios, Ca-

Proverb. 17. 3. rolos Spinolas, Apollonias, Afras, Hilarias, Europias, Eu-

Psalm. 16. 3. nomias, Dignas ex eis efficit. Nam, sicut igne probatur argentum,

Psalm. 16. 9. & aurum camino, ita corda probat Dominus; vt dicere possint: *igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*. Quod si verò elemen-

Psalm. 20. 9. to hoc vñstulantur iniqui, non est id iniquum. Habent quod meren-

Sapiet. 16. 16. tur. Sentiunt quod iustitia his verbis exigit: *Inueniatur manus tua, omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*

*Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus, in ira sua,*

*conturbabit eos, & denorabit eos ignis.* Ita iæpius contigit, *Negan-*

*tes.*